ardentem rapidoque cursu pergens iacta-
uit in ignem. Statim autem ipso puero sancta dei
genitrix in specie ymaginis quam super al-
tare uiderat apparuit eumque ab igne
liberans nec etiam paruum caloris sentire per-
misit. Mater uero pueri nimio dolore conster-
ta euigilando clamare cepit multos-
que tam christianos quam iudeos ad lacrimas com-
mouit. Qui uidentes puerum in for-
nacis medio uiuentem et nullam lesionem
ignis maculam in se habentem confestim eum
eduxerunt sciscitantes ab illo quomodo
euasisset incendium ignis. At ille re-
spondens ait. Quam uenerabilis domina que
super altare stabat et nobis communican-
tibus porrigebat particulas in auxilium
michi fuit et omne incendium a me depulit
nec etiam odorem fumi sentire permisit. Hoc
audientes christiani intellexerunt sanctam
dei fuisse genitricem uidentes patrem pueri qui
eum in fornacem miserat in eadem forna-
cem iniecerunt. Qui statim ab igne cir-
cumdatus in momento exustus est
totus. Quod uidentes tam iudei quam christia-
ni deum et sanctam eius genitricem collaudaue-
runt et ex illa die in dei fide feruen-
tiores extiterunt. De quadam uirgine sancti moni-
ali.

Fertur fuisse apud sanctum Eadowar-
cestonie quandam sanctimonialem fe-
minam super omnes que ibi habitabant
sanctitate et religione famosissimam. Hec
cuidam monacho sancte Marie becci ual-
de religioso sub persona alterius de se
manifestauit. Hoc modo ea referre ag-
gredior. Scio, mi domine pater, inquit,
in hoc monasterio quandam dei famulam

habitare que ut tu illam ita te ipsam dili-
git sincera dilectione. Cui pro certo sci-
as absque ulla dubitatione tale quid
nuper contigisse. Quadam uero nocte dum
in lecto proprio uellet quiescere uidit su-
bito aperta uisione ante illam sanctam
Mariam reginam celi et ante altare ipsam-
que se uocantem proprio nomine et alloquen-
tem tali affamine. Dormis ne inquit
Eulalia. dormis o filia. Cui illa dei
famula que ipsam dei genitricem esse re-
cognouit cui nocte ac die deuotissi-
me seruiebat uerbis huiusmodi respondit.
Non dormio domina mea regina sed sci-
re desidero tua humillima ancilla
cur ad me peccatricem atque indignam ue-
nire dignata es o mundi regina. Ad
hec autem beatissima Maria. Ne timeas
inquit piam matrem o filia. cui omni
die mente humillima quam plurima
reddis seruicia. Sed moneo te ut si
illa que michi impendis tibi uis proficere quia
quando me salutas angelica salutatione
scias me magnum gaudium percipere.
et maxime cum dicis dominus tecum. Plurimis
dicitur huius gaudii quod tunc habeo modus
non potest proferri ullis uocibus. Etiam tunc
uidetur michi quod similiter nunc sit filius
meus quomodo fuit cum pro peccatoribus nasci
uoluit de me deus et homo uerus. Sic sicut
tunc michi fuit cum pro peccatoribus nasci
uoluit et cum ineffabile gaudium in an-
gelica salutatione accepi. Ita et nunc
cum dicis dominus tecum. Hoc audiens illa christi
ancilla. repleta est magna leticia atque
ut ita dicam maior dulcissime quam ea.



http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs282/0203
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg